

terra & tres etiam in Coelo (5). Cum aliis Evangelistis consensione, idem enim testatur Evangelista Johannes in suo Evangelio, quod unus sit DEUS in Essentia & trinus in personis, ita-
 tum in cap. I. (6.) Versiculi hujus cum Analogiâ fidei consensione (7). Hæreticæ fraudis patefactione, verusutia enim Arianorum factum est, ut hic versus in impressione nonnullorum Exemplarium auferretur, vid. Harmoniam Gualtheri, D. Feurborn.

Qv. XII. Quid vocabulum tres in hoc Aphorismo Apostolico significet? Resp. Illud notare & personarum Trinitatem & earundem distinctionem. Vox enim *Trinitatis* αὐτολεξείκη ῥητον quoad literam & verba explicitè in S. literis non habetur nec reperitur. Quoad rem ipsam autem & sensû in S. literis habetur *Ἀγνοητικῶς* implicitè & necessariâ consecutione. Sicut enim ex vocabulo *Uno* rectè infertur *Unitas*; ita etiam ex vocabulo *Tres* vi conjugatorum rectè infertur *Trinitas*. Qui enim dicit, tres esse unū in Concreto, ille re ipsa dicit Trinitatē in abstracto; nil enim aliud est trinitas; significat quidem formaliter Triada, sed consequenter etiam importat Monada, nam ita exprimit pluralitatem personarum sensu Ecclesiastico, ut indivisæ Essentiæ unitatem simul includat, quia pluralitas, quam nos confitemur, non est absolutè pluralitas, sed secundum quid, fundata sc. in simplicissima Essentia Divina, imò ipsa Essentiâ unitas simplicissima. Notandum insuper est hoc in l. discrimen inter *Trinitatem* & *Triplicitatem*, illa notat tres *ὑποστάσεις* seu subsistentiæ modos in unitate Essentiæ, hæc vero notat compositionem quandam ex tribus, quæ cum in simplicissimam Essentiam Divinam non cadat, rectius in hoc Mysterio dicitur *Trinitas* seu *Trinunitas*, *Dreyeinigkeit* / quam *Triplicitas* i. e. *Dreysaltigkeit*. Sed alicui forte scrupulus oritur de compositione in SS. Trinitate talis: Si tres sunt personæ in unitate Essentiæ, utique Compositio quædam datur in SS. Trinitate. Sed prius est verum E. posterius. Resp. Per inficiationem copulati, ratio hæc est, quia tres personæ, Pater, Filius & Spiritus S. nil aliud sunt, quam ipsa simplicissima numeroque una Essentia Divina, & simplicissima hæc essentia divina nil aliud est, quam ipsæ tres personæ in Mysterio SS. Trinitatis, persona quælibet seorsim acceptæ ratione quidem &